


**6404** Laude dicesi trascritto dal muro contiguo al sepolcro di S. Tiziano, che era già nella cattedrale di Lodi vecchio ANONYMUS. Locum non enuntiat PAP.

TICIANVS VATES XPI DOCTRINA PERITVS  
EMERITIS MILES XPI DVM CRVCEM REQVIRIT  
MEMBRA SOLO POSVIT CELI PEREXIT AD ASTRA  
ECCELET CONGREGAVIT OPES VNDIQVE SACERDOS  
5 BENIO-REXIT POPVLOS  
POST ANNOS NVMERO VITAE LV QVIEVIT IN PACE  
SVB · D · KL MAIAS · D · N · BASILICO · P · P · AVC  
BES-ET-ARMATE-VIC-CONSVLIB

p. C. 476

Sic legitur in cod. Papiensi, nisi quod versuum divisionem mutavi emendavique v. 5 quod ibi est BENIO ad relationem Ferrarrii (v. i.); hoc enim exemplum, etsi et ipsum non tam ex marmore exceptum crediderim quam ex pictura antiqua ad marmor expressa, tamen reliquis praeferen-  
dum esse existimo. Novit titulum etiam Phil. Ferrarius (catal. sanctorum Italiae Mediolani 1613. 4. p. 248) 'ex tabulario et monumentis ecclesiae Laudensis' sic referens de Titiano episcopo: 'An. 477 decessisse ex epitaphio quod adhuc extat apud Laudem veterem appetet; obiit autem diem annum aetatis agens 55; vixit in episcopatu biennium.' Car. Ant. Remitale (*esemplari domestici di santità proposti ai Lodigiani*. Mediolani 1741 p. 64; inde Zaccaria episc. Laud. p. 96, ex hoc Allegranza sep. chr. p. 6) eandem edidit ex codice Vairani servato tum Laude in hospitali maiore; similiter dat Anonymus n. 48 (unde pendet Vignati p. 259) cum hac praescriptione: *tales costantemente si legge nei variū mss. concernenti le vite de' vescovi Lodigiani nella librerie di questi padri Filippini*. Remitalius et Allegranza ab exemplo supra proposito recedunt in his: 1 TITIANVS — 2 EMERITVS — DE CRVCE  
REQVIRENS — 3 CAELI (COELI Anon.) PERREXIT — 4 EXCELSVS (EXCELSAS Anon.) pro ECCELET (fuitne ECCL?) — MVNDVSQVE pro VNDIQVE — 5 BE-  
NIGNVS pro BENIO — 7 SVB D om. — KAL·MAII·BASS·ET ARMATO VIC·COSS·DOMINO BASILICO·P·P·AVGVST. Deinde clausulam Anonymus affert ex codice Papiensi. Addit idem inscriptionem in arca lectam omnino recentem: HAC·REDOLENT·CAPSA·TITIANI·MEMBRA·BEATI·PASTOREM GENIT TITIANELLVS EVM. Ceterum quod collegit Rossius inscr. 1 p. XII ex hoc titulo temporis adnotationem duplicem iam saeculo quinto exeunte in usu fuisse, id iam refellit codex Papiensis, consules ostendens sic fere scriptos fuisse in lapide: D·N·BASILISCO·P·P·AVG·BIS·ET·ARMATO·V·C·CONS.

**6405** ex Casalpusterlengo venit in museum Laudense.



Descripti.

**6405a** rep. Laude vetere in S. Bassiani, est in museo Laudensi.



Descripti.

## LXIX. TICINVM (Pavia). Tribu Papiria.

I. ANONYMUS EINSIEDLENSIS saec. VIII vel IX in sylloge sua post urbanos titulos posuit duos exceptos Papiae, quos solus servavit.

II. Sylloge Palatina saeculi c. noni servata in codice Vaticano Palatino n. 833 post Mediolaniensia epigrammata ea quae supra p. 617 inde expressimus, haec habet f. 43' — 49 sub praescriptione 'Epytaphia ciuit. Papiae', quae similiter hic proponuntur.

### 1 Epyt.

Me sibi praeclarus doctor nutrit alumnum  
antistes Petrus, Ticinensis gloria plebis,  
et pater et pastor, patriae decus, inclitus auctor.  
Ecclesiae fueram semper vernaculus almae:  
5 litterulas ex quo primaevō tempore sumpsi,  
primus eram cleri primo, levita deinde  
iam, licet indignus, magno tamen ordine fungens.  
Sed post ira dei populum stillabat in istum:  
exul eram, ductus longe de cespite patrum.  
10 Sed me magna dei servavit gratia semper,  
eruit a multo venienti hinc inde pericolo,  
cui laus magna fiat, virtus et gloria semper,  
qui me tam miserum dira de morte reduxit  
et patrias iterum me fecit cernere terras  
15 tempore, quo Carolus rex magnus optimus istam  
tenuit et rexit grandi pietate benignus.  
Haec mea viventis in saeclo fata fiebant.  
At nunc ista tenet requies miserabile corpus,  
spiritus altithroni timidus petit omnia secum

20 iudicium regis portans quaecumque gerebat  
corpore coniunctus. Peiro, mitissime χρέ,  
(tu quicumque legis dic dic) peccata remitte.  
Atque valete mei memores per saecula fratres.

Cod. f. 44. Inde Grut. 1167,8. — 2 antestis, 4 alme, 5 primeuo cod. — 16 et om. cod.

### 2 Epitaphia.

Candida funereo sculpuntur marmore gesta,  
sed non est flendus qui iacet in tumulo.  
Lugeat infaustus, qui nescit vivere χρό,

post mortem caros tartara quos retinent.

5 Hic vates domini mundo quia corpore vixit,  
admixtus gaudet coetibus angelicis.  
Claruit hic meritis Petrus antistes honestis,  
norma sacerdotum, columen eximum,  
munificus, constans, sollers prudensque, modestus,  
10 qui innumeris semper pollet ubique bonis,  
inclitus prosapia regumque stemmata tangens,  
nobilis alloquio, moribus nobilior.